



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XVI. Argumentum. Disputatur, An liceat locare bona Ecclesiæ ultra triennium? Vel ea in emphyteusim dare? Quæ requirantur pro iis ad livellum dandis? Quæ bona Ecclesiæ possint alienari sine ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

7^o Quind. Senium, mortemque accelerant, adventicia ficitate, humido radicali infesta.

Sexto. Febribus acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis, & phrenitidi.

Septimo. Vidi non neminem, cui insanus huius PULVERIS usus chrystallinum corrugaverat humorem, unde & silitantia cernebat objecta.

Octavo. Durior auditus fit iis, qui parvum caput fortiri sunt, timitusque aurium cuiuspiam contigit, effranto huius PULVERIS usu. Huc usque Magnen.

Videant igitur Ecclesiastici, & secum mente revolvant, ac firmissimè decernant emendari ab hoc vitioso Tabacchi usu; quia Nec licet, nec decet, nec expedit perseverare in ipso.

DECISIO XVI.

ARGUMENTUM.

Disputatur, An liceat locare bona Ecclesiæ ultra triennium? Vel ea in emphyteusim dare? Quæ requirantur pro iis ad livellum dandis? Quæ bona Ecclesiæ possint alienari sine licentia? Quid relevet clausulæ, salvo beneplacito Sedis Apostolicæ? Confraternitates laicorum an possint earum bona alienare? De methodo suadendi populo solutionem integram Decimarum.

SUMMARIUM.

1. Locare ultra triennium bona Ecclesiæ an liceat?
2. Emphyteusis de bonis Ecclesiæ fieri non potest.
3. Livellare bona Ecclesiæ quomodo liceat?
4. Bona Modici valoris qua dicantur.
5. Bona Ecclesiastica alienabilia sine licentia Papæ qua sint?
6. Pecunia Ecclesiæ an possit alienari sine licentia?
7. Clausula Salvo beneplacito Papæ quid operetur in alienationibus bonorum Ecclesiæ?
8. Clausula Nec aliter, nec alio modo, quid relevet?
9. Confraternitates laicorum an possint alienare bona sua?
10. Decima, ut fideliter solvantur, qua methodo sint populi suadendi?
11. Decimarum fidelis solutio habet à Deo quatuor remunerationes.
12. S. Bellini Martyris Episcopi Patavini intersector, quomodo à Deo punitus?
13. Decima in nova lege, cur solvantur Ecclesiasticis, qui possident agros, & vineas Ecclesiarum?
14. Levita Aaronici possidebant Civitates 48 cum agris, & pradiis suburbanis earumdem.

Ad infra scripta Quæstra, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. An liceat locare bona Ecclesiæ ultra Triennium? Distinxerunt. Vel bona sunt talia, ut quotannis colantur, & ex eis fructus quolibet anno percipiantur, & tunc locari non possunt ultra triennium, attenta prohibitione Juris Canonici sunt Anathematis poena in Extravag. Ambitiosa. De reb. Eccles. non alien. At si bona Ecclesiæ talis sint conditionis, ut ex eis quolibet triennio unicus tantum fructus colligatur, poterunt in novem annos locari, quia primum triennium æquivaleret primo anno; & sic secundum, & tertium; & si alternatim fructificent, poterunt per sex annos locari. Ita Covar. lib. 2. Var. cap. 16. num. 6. Barbof. alleg. 95. num. 4. Et Antonell. De Regimine Eccles. lib. 1. c. 5. num. 6.

Ad Secundum. An liceat, ea dare in Emphyteusim? Omnes Negative responderunt, cum id expressè vetet Summus Pontifex in d. Extravag. Ambitiosa, ea ratione, quia dare in Emphyteusim est alienare. Novar. in Summa Bullar. par. 1. Commentar. 129. n. 3.

Ad Tertium. Quæ requirantur pro dandis bonis Ecclesiæ ad livellum? Dixerunt, Duo requiri. Utilitatem Ecclesiæ, & Solemnitatem. Illa consistit in hoc, quod Ecclesiæ conditio fiat melior, & locupletior, idè si tantum recipiat, quantum dimittit, non dicitur Utilitas. Rota decis. 430. num. 6. par. 2. recent. Novar. d. commentar. 129. à num. 6. & seqq. Quanta autem debeat esse utilitas, standum est arbitrio Judicis. Rota decis. 674. part. 1. divers. Solemnitas verò est, ut in Ecclesiis Collegiatis, & Regularibus præcedat tractatus, deinde consensus majoris partis Capituli; ac demum Summi Pontificis licentia, quæ in aliis omnibus alienationibus bonorum Ecclesiasticorum semper requiritur, nisi res alienanda sit modici valoris, vel difficilimæ recuperationis, quia tunc sufficit Auctoritas Episcopi. Rota pag. 2. recent. decis. 631. Novar. dict. Comment. 129. numer. 33. Bona autem dicuntur modici valoris, quando eorum valor non excedit summam Viginti quinque aureorum; quæ faciunt Ducatos sexaginta Monetæ Veneræ. Gavant. in Manual. Episc. Verb. Alienatio num. 24. Et si verius sit quod in hoc statut arbitrio Episcopi. Barbof. cap. Terrulas. 12. quæst. 2. Antonell. de Regimin. Eccles. dict. lib. 1. cap. 8. numer. 6. ubi notat, esse attendendam consuetudinem locorum, quantitatem rei, & conditionem Ecclesiæ.

Ad Quartum. An sint aliqua bona Ecclesiastica, qua possint alienari sine licentia Papæ, vel Episcopi? Responderunt esse sequentia. 1. Mobilia non pretiosa, ut fructus agrorum, vel animalium, secus autem si sint pretiosa, ut Vasa argentea, Vestes magni pretii, quæ diutius servari possunt, Gregeſ Ovium, Armentum boum, Præsepium equorum, & arbores fructiferæ. Antonell. d. lib. 1. cap. 4. n. 3. 2. Bona necessariò alienanda, puta si sint relicta cum onere fidei commissi, post certum tempus ab Ecclesiâ instituendi. Barbof. allegat. 95. numer. 61. At si absolute bona fuissent donata Ecclesiæ, vel legata cum expressa conditione, ut Ecclesiâ possit illa ad libitum alienare, hæc conditio rejicitur tanquam illicita. Barbof. de allegat. 95. numer. 70. Dummodo Ecclesiâ sit capax ea retinendi. Antonell. d. lib. 1. cap. 4. numer. 5. & 6. 3. Bona, quæ sunt solita dari in Emphyteusim, videlicet si præcesserunt duæ concessionis sine solemnitate, effectum fortitè, simul cum cursu 40. annorum. Quarant in Verb. alienatio numer. 42. Dummodo iterum non fuerint incorporata Ecclesiæ, Antonell. dict. lib. 1. cap. 6. num. 16. 4. Bona, quæ servando servari non possunt, ut sunt fructus, vestes attritæ, animalia supervacua, arbores opacæ, vetustæ, corruptæ, vel infructiferæ, quas beneficiarius potest incidere, præsertim si ex earum incisione fundus reddatur fructuosior. Rodam. de reb. Eccles. non alien. quæst. 7. c. 7. Bonac. eod. tract. disput. 2. quæst. Unic. punct. 2. num. 8. An autem pecunia Ecclesiæ alienari, & distrahi possit sine licentia Papæ, aut Episcopi? sunt hinc inde opiniones apud Antonell. d. lib. 1. cap.

cap. 7. numer. 5. Sed negativa est verior, quando redacta sit ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretiosae, quia tunc computatur inter immobilia, & est investienda. *Genues. in Praxi cap. 60. num. 13. Quarant. in Verb. Alienatio num. 25.* Et eo magis si donata, vel legata fuerit ad emenda stabilia, vel census, aut res pretiosas. *Antonell. ubi supra num. 7.*

AD PRIMUM CASUM.

7 *Quidam Parochus dedit in Emphyteusm campum suae Ecclesiae, sed in Instrumento posuit clausulam (salvo beneplacito Sedis Apostolicae, Quaritur, an incurritur in Censuras.*

8 Responderunt cum distinctione. Vel campus ille erat Magni, vel exigui Valoris? Si magni, dixerunt, eum incurrisse, quia non potest devenire ad celebrationem contractus Emphyteusis, & ad tradendam possessionem campi Emphyteutae, nondum habito beneplacito Sedis Apostolicae. *Nayar. conf. 1. Vers. si non praecedat. De reb. Eccles. non alien. Garzias de benefic. pag. 1. cap. 5. num. 37. Genues. cap. 52. quod notat. Rota part. 10. recent. decis. 275. numer. 19. & 20. & D. Joan. Baptist. Turricellus Patavinus in Tract. de reb. Eccles. non alien. cap. 12. numer. 14.* ubi tamen contrarium tenet, si addita fuissent haec Verba, *Nec aliter, nec alio modo, quae faciunt deficere consensum, & sic praeservant ab incurfu Censurae.* Si vero erat exigui valoris, subdistinguerunt: Vel erat utilis Ecclesiae, seu erat pars magni praedii, & adhuc incurrit in censuram, quia in neutro casu poterat alienari absque assensu Sedis Apostolicae *cap. 1. ubi gloss. 17. quast. 4. Genues. d. cap. 52. num. 3. in fine; alias hoc modo possent alienari paulatim omnia praedia Ecclesiae in fraudem legis. Aut non erat utilis, neque pars magni praedii, & tunc Parochus in censuras non incurrit, quia est casus exceptus ab Extravag. Ambitiosa. Ut advertit Antonell. ubi supra cap. 8. numer. 1. si tamen licentiam obtineat ab Episcopo. Turicell. capit. 6. num. 1.*

AD SECUNDUM CASUM.

9 *Massarii cuiusdam Spiritualis Confraternitatis petunt à Parocho, an possint livellare campos de ratione dictae Confraternitatis? Quaritur, quid sit eis à Parocho respondendum?*

Alii dixerunt, Massarios à Parocho monitos iri, ut videant, an eorum Confraternitas fuerit erecta auctoritate Episcopi? Quia in tali casu, livellare campos non possunt absque licentia Summi Pontificis. *Bond. d. tom. 1. De alienat. bon. Eccles. disp. 2. quast. Unie. punct. 2. num. 10. Menoch. de recuperat. poss. remed. 15. num. 25. Barbof. allegat. 75. num. 31.* At, si sine Episcopi decreto sit erecta, dicta licentia non indigent. *Barbof. de iure Ecclesiastico Univ. lib. 2. cap. 11. num. 88. Sperell. qui plures allegat. decis. 155. numer. 2.* At alii diligentius scripserunt, opus esse licentia Apostolica, quamvis non fuerint erectae cum auctoritate Episcopi, si eorum bona sint destinata in alimoniam pauperum, vel in opera charitatis, & pietatis, aut ad celebranda divina officia, vel exercitia spiritualia. *Antonell. d. lib. 1. cap. 4. & 15.* Ubi etiam notat, administratores neque posse facere compromissum de bonis huiusmodi Confraternitatum, quia compromissum est species alienationis,

Antonin Variar. resolut. lib. 2. resol. 2. num. 4. & Quaranta Verb. Alienatio rerum Eccles. numer. 20. Quamvis ad compromittendum sufficeret auctoritas, & licentia Episcopi, ubi ageretur de utilitate pii loci, ad exemplum Tutorum, & Curatorum, qui de licentia Iudicis possunt facere compromissum de rebus pupilli, aut minoris. *Ferrus in quast. moral. part. 1. quast. 55. & Gratian. discip. Forens. cap. 586. num. 52.*

AD CASUM PRUDENTIALEM

10 *Qua methodo fieri, ut à populo adimpleatur Praeceptum de solvendis Decimis? Dixerunt.*

I. Si Rectores Ecclesiarum, studio Sacrorum Canonum vacantes, ac SS. Patrum; didicerint ex eis populos docere, solutionem Decimarum esse de Jure Divino; quia licet in Lege Evangelica quantitas solutionis sit de Jure Ecclesiastico, nihilominus quo ad substantiam est de Jure Divino naturali, tum quia Praeceptum Decimarum legis Veteris erat morale, & sic servandum etiam in Lege nova. *Moneta de Decim. cap. 1. num. 17. & 36.* tum quia illud explicuit Christus Dominus in Evangelio *Matth. 10. in illis verbis, Dignus est operarius mercede sua; ut notat Coronus lib. 1. Controvers. 18. cap. 1.*

II. Si exempla nova, & vetera adduxerint, quibus constat solutionem Decimarum Ministris Sacris omni tempore fuisse factam, tam in lege naturae, ut de Abraham *Genes. 15. de Jacob Genes. 28. de Pharaone Genes. 47.* quam in lege scripta *Exod. 22. Levit. 27. & 2. Paral. 13. Tob. 1. & Malach. 3.* nec non apud Gentiles, & Ethnicos, ut videre est apud *Covarr. Variar. resolut. lib. prim. cap. 17. num. 2. & Anastas. Germon. De Sacror. Immunit. lib. 1. cap. 14. a numer. 2. & sequentib.* Unde eo magis solvenda sunt Rectores Ecclesiarum, qui diu, nocturneque Pervigilant, quasi rationem de animabus reddituri, *Hebraeo. 13. 17.*

III. Si Canones, & Decreta Ecclesiastica explicaverint, quibus praecipitur solutio Decimarum, congesta per *Monetam de Decim. cap. 1. quast. 3. num. 38.* & praecipue Sacrum Tridentinum Concilium de Reform. sess. 25. cap. 12. ubi statuit, Decimas debitas esse Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt; earumque solutionem praecipit sub poena excommunicationis.

IV. Si iidem Parochi faterentur narrare remunerationes quatuor, quas consequuntur à Deo solventes fideliter decimas; Unam Temporalem in incremento frugum; alteram Corporalem in sana, ac longeva vita; Tertiam Spiritualem in remissione culparum; & Quartam Caelestialem in affectione Vitae aeternae; ut docet *S. Augustin. serm. 219. de tempore.* Et habetur in *cap. Decima tributa, 16. quast. prima.*

V. Si proposuerint, Deum optimum Maximum, qui in Ministris suis creditor est Decimarum, succensere defraudatoribus earum; ut loquitur in *Mal. 3. 9.* Ideoque eos severissime punire, praecipue superinducta agrorum sterilitate, ut ex pluribus Historiis relatis. *In Sylva Histor. Joan. Baptist. Mattioli lib. 3. cap. 1. tit. 17.* ubi inter cetera, narrat de S. BELLINO Martyre, Episcopo Patavino, interfecto ob defensionem Juris decimandi hujus Episcopatus, cujus interfectoris, Civis potentis, agri adeo steriles facti sunt, ut ipse bonis decoxerit, & à creditoribus carceri mancipatus, in eo obiit, & Sacrilegii sui poenas luit. *VI. Si*

VI. Si addant, adeo verum esse, Decimas debere, & solvi ALTISSIMO, ut de Jure Canonum, neque liceat eas retinere in compensationem crediti, quod quis haberet cum beneficiato. *Barbos. de Jure Ecclesiastico Univ. lib. 3. cap. 26. §. 1. num. 41. Moneta de Decimis. cap. 7. q. 2. num. 41. & cap. 8. num. 6.*

VII. Si supradicta omnia curaverint Parochi, & Regularibus Prædicatoribus in concionibus serio enunciar.

VIII. Si ipsi beneficiati avaritiæ macula non sint affecti, sed eos populi viderint pios in pauperes, & liberales in suas Ecclesias, tunc enim & laici propensiores fient in solvendis Decimis, nam scriptum est, *Dare, & dabitur vobis. Luc. 6. 18.*

IX. Si ipsimet beneficiati diligentes fuerint in conficiendis catasticis, & inventariis, cum expressis confiniis agrorum, è quibus Decimæ solvuntur.

X. Si demum, modestè, sed doctè, confutare didicerint falsam illam assertionem, idè Deum reservasse Decimas, & Primitias Sacerdotibus, & Clericis ¹³ Veteris Testamenti, quia nullum prædium possidebant, ac propterea in nova lege, cum tot agri sint concessi Rectoribus Ecclesiarum, Jus decimandi cessare debere. Falsa enim est dicta assertio, & continet errorem Joann. VViclefii, Lutheri, & Spalatenfis ejus affectu; nam Deus ultra Decimas, & Primitias reservatas Levitis ministris suis, voluit eos habere, & possidere ¹⁴ Civitates, cum suburbanis, & agris suis, ut scriptum est *Num. 35. 2.* Et sic tantum abest, ut Levitæ nil possederint, ut imò eorum portio major fuerit quacumque portione aliarum Tribuum, ut comprobant *Bellarmin. in controvers. fid. lib. 1. de Cleric. cap. 8. propof. 5. Baron. tom. 1. annal. anno 57. fol. 451. Serarius in Josue cap. 21. quæst. 3. & 4. Diana part. 5. tract. 1. resol. 3. Quæ in Coordinato est tom. 9. tract. 3. resol. 2.* Et novissimè *Sperell. decis. 182. à num. 2. & seqq. ubi num. 6. & 7. probat, Levitas possedisse in particulari agros, & campos, & prosequitur demonstrando rationibus, Juribus, ac auctoritatibus SS. Patrum, ac Doctorum, Deum voluisse Ecclesiasticos divites esse ad sui gloriam, & Ecclesiæ decorem. De divitiis, & proventibus Levitarum in lege Mosayca legantur meæ Decisiones de Sacrificio Missæ *Decis. 23. à num. 44. atque Decis. 24. num. 19. 20. & 21.**

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur quid sit blasphemia? Quam grave peccatum? Quot modis committatur? Casus duo de hoc crimine. Suasio ad Ecclesiasticos pro quotidiana Oratione mentali per ipsos faciendâ.

SUMMARIUM.

1. Blasphemia definitio.
2. Maledictio in quo differat à blasphemia?
3. Blasphemia peccatum maximum. Rationes plures de hoc.
4. Blasphemia tribus modis committitur. Quinam sint?
5. Blasphemia an sit dicere. Sia maledetto quel becco, che mi tiene al mondo?
6. Maledicere Deiparam, & Apostolos quale peccatum sit?
7. Blasphemia in Deum, in Deiparam, in Sanctos, in quo differunt?

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

8. Circumstantia peccati aggravantes quando sint exprimenda in Confessione?

9. Oratione mentalis quot de causis faciendâ quotidie ab Ecclesiasticis?

10. Vincentii Carassæ Præpositi generalis Soc. Jesu notabile dictum.

Ad infra scripta Quasita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD Primum. Quid sit Blasphemia? Quamplures, & omnesque præstantes definitiones allatae fuere; inter quas illa, quod sit Contumelia, verbo, in Deum prolata, desumpta ex *Riccioli. De Personis, quæ in statu Reprobo versant. lib. 1. cap. 1. num. 3.* Eam verò sic explicant. Dicitur Contumelia, loco generis, quia hoc verbum comprehendit quancumque injuriam, in quemquam prolatam. *lib. 1. ff. de injur.* Item, quia ut verbum includat blasphemiam, debet esse contumeliosum; idè Notarii, & testes, qui materialiter proferunt, vel scribunt verba blasphemiarum, non blasphemant. *Riccioli. dict. capit. 1. num. 3.* additur Verbo; Quia hoc vitium proprium est linguæ. *Job. 5. Imitaris linguam blasphemantium;* & ut distinguatur à factis contumeliosis, quæ propriè non dicuntur blasphemia. At sub ly Verbo comprehenditur non solum, quod pronuntiatur voce, sed etiam scriptura; cum qua proferuntur blasphemiarum. *2. Paral. 23.* Epistolæ quoque scripsit plenas blasphemias in Dominum Deum Israel. Dicitur in Deum immediate, vel mediatè in Sanctos ejus; & ad differentiam Maledictio, quæ propriè fertur in homines. Dicitur. Prolata sive ore; sive etiam corde.

Ad Secundum. Quanta sit gravitas hujus peccati? Omnes concorditer dixerunt, Blasphemiarum peccatum esse omnium maximum, & gravissimum, ut docet *S. Thom. 2. 2. qu. 15. art. 3. & tradunt Farinac. in Praxi lib. 1. qu. 20. & Chartar. dec. 2. num. 1. & seqq. Id probantur. 1. Ex Levit. 24. Ubi juvenis, qui blasphemaverat, jussu Dei fuit lapidatus; quem non juvit, neque ætas, neque iracundia, neque quod esset in Castris, neque Summum Tribunal Moyfis, circumstantiæ omnes, quæ in delictis faciunt minuere penam; quibus non obstantibus damnatus fuit morte à Deo; ut ostenderet gravissimum esse hoc scelus. 2. Quia blasphemans dicitur pejerare, nam contrafacit promissioni de diligendo Deo in baptismo firmata. *Decian. in tract. Crim. lib. 6. cap. 1. num. 4. 3. Quia blasphemus deterior est Idololatra, dum non solum non desert honorem vero Deo, sed petulanter contumeliam infert. Decian. ubi supra num. 7. 4. Nam in cæteris delictis est aliqua voluptas, nulla autem in blasphemia. Abb. in cap. ex parte 1. de Verb. Signif. 5. Qui blasphemus sunt pejores canibus, à quibus eorum Domini non petuntur morsibus, ut ipsi faciunt in Deum Dominum suum. Riccioli. dict. lib. 1. cap. 3. num. 14. & 15. ubi ait, Sanctos adeo horruisse solum nomen blasphemiarum, ut ejus vice proferrent Vocabulum benedictionis, ut *Job. 1. Qui sacrificium quotidie offerebat pro filiis, Nè forte peccaverint, & benedixerint Deo in cordibus suis, id est, ne blasphemaverint. & 3. Reg. 21. Calumniosus testes dixerunt, Benedixit Naboth Deo, & Regi; id est blasphemavit. Hinc S. Joan. Chrysost. in Matth. Homil. 76. appellat blasphemiam carmen damnatorum, adeo ut blasphemanti dici possit: Verè tu damnatus es, numer. & loquela tua manifestum te facit, & propter blasphemias venire Pestem, Fa-***

D

mem,